Ex proxime nominatis Provincijs omnibus, annos complures passim Iuvenes ad Collegium accesserunt, donec invalescente in plerisque heresi, emanatisque in Dania praesertim, et Suecia edictis severissimis, ne ullus liberos suos ad Jesuitarum scholas mittere aut apud eosdem studijs operam dare auderet sub poena capitis, et bonorum confiscatione res in eas angustias redacta est, ut ab annis circiter 50. ordinarie non nisi Pruteni, ex alijs vero Provincijs rari admodum admitti potuerunt quae eadem Causa anno 1648. data est Sac. Congni petenti cur prope soli Pruteni admitterentur et Emis Patribus satisfecit.

Ab initio fundationis usque ad annum 1625. nullo alio praeter quam constanter in fide Catholica permanendi iuramento adstringebantur Alumni caetera quoad vitae statum omnino liberi erant. Admittebantur etiam ex qualibet Classe Scholarium usque ad annum 1647. utrumque deinceps mutatum ob maiorem Ecclesiae ex suis Alumnis utilitatem; Nam anno 1625. iurare iussi sunt quicumque ad Collegium aspirabant, se nimirum statum Ecclesiasticum amplexuros et operam suam in Animarum Curam impensuros. Anno vero 1647. mandatum à Sacra Congne missum est ne ullus Rhetor absolutus ad Collegium admitteretur, definitaque est mora septennij, ultra quod in Collegio teneri non possint Alumni, iussi interim